Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 41
Quelle:
Copyright:

III. *Esdrae* propter praecedentem Librum *Nehemiae* inscribitur II. *Psalterii* titulus est: *Incipit liber ympnorum uel soliloquiorum prophete dauid de christo.* Epistolis *Paulinis* et *Canonicis* interpositi sunt *Actus Apostolorum. I. Joh.* c. 5. post: *spiritus, aqua et sanguis* deest, *et hi tres unum sunt.* Adhaerent: *Capitulare* recentiore manu productum ad finem L. IV. *Regum. Index* ille *Nominum hebraicor.* a prima manu, demum *Tabula* recentior *Librorum in hoc volumine contentorum.* Indici aureis literis haec subsunt: *Presens uolumen Biblie est Leonelli Vualdi Geniti d. Barnabe emptum Caffe precio asperorum duorum millium quingentor. a Laurentio Spinula. Laus deo et Sancte Marie Magdalene. Amen.* Cultus hic, et praeter παρεργα jam adducta complures per marginem sparsae notulae satis indicant, magno in pretio et usu fuisse quondam illustri *Spinularum* Genti tum *Caffae* sive *Theodosiae* commerciis plurimum florenti hunc Codicem.

XXIX.

C. 939 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 611. 8. min. per duas columnas nitidissime aeque ac minutissime perscriptus, coloribusque illustratus, et nuper nobilis Parthenonis *Halae ad Oenum*, praefixa recentiore pictura Universi creationem exhibente continet sacra *Biblia V. et N. T.* cum solitis *Hieronymi* Praefationibus, et Argumentis. Post L. *Nehemiae fol.* 247. reperiuntur duo *Esdrae* apocryphi, qui hic *Secundus* et *Tertius* inscribuntur. *Psalterium* deest. LL. *Machabaeorum* praeferunt *Rabani* Prologos ad *Ludovicum* R. et *Geroldum* Archidiac. *Fol.* 561. *Joh. I.* c. 5. ad testimonium terrestre in margine alia manu adjectum est: *et hii tres unum sunt.* Ad calcem denique pro more accedunt *Interpretationes Nominum hebraicorum.*

XXX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 342. 8. per duas columnas minutissime, sed nitide exaratus, et coloribus illustratus comprehendit sacra *Biblia U. T.* vulgati interpretis, Epistolis et Prologis *Hieronymianis* munita ordine Librorum consueto. Verum a parte c. 25. L. II. *Paralip.* usque ad *Isaiae* medium c. 63. exciderunt omnia, et iterum finis *Epistolae III. Joh.* cum principio *Epistolae Judae* deperiit; *Apocalypsis* autem nunquam addita fuisse videtur. Libri *Machab.* praefixos habent notos illos *Rabani M.* Prologos ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Archidiaconum. *Actus Apostolorum* inter *Epistolas Pauli* et *Canonicas* interjacent. I. *Joh.* 5. adest quidem totum utrumque Testimonium, sed in terrestri verba illa: *et hi tres unum sunt*, punctulis subnotantur. Finem facit, ut solet, Nominum hebraicorum Interpretatio. R. 71